UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Vita Et Res Gestae S. Timothei Apostoli, & discipuli S Pauli, ex Metaphraste. Creatus est à S. Paulo Episcopus Ephesiorum anno Domini quinquagesimoseptimo. Neronis Imp. 1. fuitq[ue] primus eius sedis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

Visual Library

ſacris Eccleſiæ decoratus veſtimentis, in futura, immortalitatis indumento cum alijs Dei ſeruis lætaberis. His dictis, B. Virgo cum cœleſti virginum agmine repentè ab eius conſpectu euanuit. Fidem hunc miraculo, cùm alia multa, tùm veſtis ipſa facit, miræ ſubtilitatis, mirique candoris, in Eccleſia Toletana ſeruata. Prætereà Cathedra epiſcopalis, ſeſſione ipſius Deiparæ ſanctificata, quæ ab omnibus deindè epiſcopis intacta permanſit. Solus Sigebertus cùm temerario auſu hoc ſibi tribueret, amiſſa ſtatim ſede, exilio damnatus eſt. Cæterùm S. Ildefonſus expletis in ea functione cum omni ſanctitatis laude annis nouem & menſibus ferè duobus, plenus gratiæ & bonorum operum ad cœlos migrauit; cuius corpus in B. Leochardiæ honorificè fuit tumulatum.

Veſtis à B. Virg. S. Ildefonſo donata, miræ ſubtilitatis & cãdoris.

Excedit è vita.

VITA ET RES GESTAE S. TIMOTHEI

Apoſtoli, & diſcipuli S. Pauli, ex Metaphraſte. Creatus eſt à S. Paulo Epiſcopus Epheſiorum anno Domini quinquageſimoſeptimo. Neronis Imp. 1. fuitq; primus eius ſedis antiſtes.

Vide C. Bar. Tom. 3. Annal.

SANCTVS Timotheus ciuitate Lycaoniæ oriundus, auiam habuit Loidem, matrẽ verò Eunicam, eximia pietate ac ſanctimonia matronas; quarum ab ingenio alienus planè parens, occis gentilitatis implicatus erroribus deceſſiſſe fertur. Porrò Timotheus à matre Chriſtianis diſciplinis contra Iudæorum perfidiam imbutus, ſumma parentum voluntate vnà cum Barnaba S. Paulo informandum tradidit, qui eo tempore, Lycaoniæ, cum inſigni ſanctitatis opinione, & ſtu-

24. Ianuarij. Patria & parentes eius.

Fit S. Pauli diſcipulus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& ſtupenda miraculorum virtute agebat. Cæterùm Apoſtolus indè profecturus, ad euangelij ſemen alijs pariter ciuitatibus impartiendum, ipſum Timotheum itineris laborumq́ue ſocium habiturus, primò circumcidit, propter Iudæos, quos minimè latere poterat, eum gentili patre natum eſſe. *Circuncidit* a *igitur, vt circumciſionem tolleret; nam Timotheus licet in præputio vocatus eſſet, tamen quia matre Iudæa natus erat, ad cognatorum perſidiam expugnandam, oſtendere eis debuit, non hoc ſe didiciſſe in diſciplina Chriſtiana, vt illa ſacramenta quæ legis veteris erant, abominaretur.*

Circunciditur Timotheus.

a Chryſoſt. homil. 34. in Act.
b Auguſt li. de mend ad Conſen. c. 5.

Prudenter igitur Paulus, vt demonſtraret Iudæis, Gentes non ideo ea non ſuſcipere, quia mala ſunt, & pernitioſè à Patribus obſeruata, ſed quia tam ſaluti non neceſſaria poſt aduentum tanti ſacramenti, quod tam longa per tempora, tota vetus illa ſcriptura propheticis figurationibus parturiuit. Nec dubitaſſet hac eadem ratione & Titum circuncidere, vrgentibus præſertim hoc ipſum Iudæis, niſi falſi fratres ſubintroducti, ideò fieri voluiſſent, vt calumniandi anſam habuiſſent, tanquam eorum veritati ceſſerit, qui ſpem ſalutis Euangelicæ, in circunciſione carnis, atque huiuſmodi obſeruationibus eſſe prædicarent, & ſine his nemini Chriſtum prodeſſe contenderent; cùm contrà nihil prodeſſet Chriſtus eis, qui eo animo circunciderentur, vt ibi eſſe ſalutem putarent.

Ratio quare D. Paulus Timotheū circunciderit.

Titum verò non.

Hinc* igitur cum eo digreſſus, primùm apoſtolicis animum excoluit virtutibus, ſui præceptoris obſeruantiſſimus, qui egregium Chriſti militem

*Lycaonia. Fit Diaconus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

litem ilicò ad Diaconi officium elegit. Quod ille tanta fide atque virtute adminiſtrabat, vt Apoſtolus modò illum filium in Domino dilectum & fidelem, modò fratrem & Euangelij cooperatorem appellaret.

Quàm tenere Paulus eſt dilexerit.

Et licet virtutum robore contra animarum hoſtes iam ſatis videretur munitus, tamen ſibi ſuiſque per omnia viribus diffiſus, tam accuratis ſe diſciplinis domabat, vt in virginea puritate, vitam hanc exegiſſe certò credatur. Immò tanto rigore corpuſculum conſtringebat, vt Apoſtolus à ſeueriore vitæ genere eum reuocare, atque vini vſum præſcribere cogeretur.

Timotheus virgo permanſit.
S. Ignatius in epiſt. ad Philadelp.
Timothei vitæ auſteritas.
1. Epiſt, ca. 5.

Et quidem ſtomachi debilitate languidus, nihil non animi generoſitate ſuperabat. Modò Epheſum, modò Corinthum trâuolabat. Paulini verò itineris vt plurimùm comes, vniuerſam terram peragrabat. Et quia Chriſtianæ facundiæ viribus non parùm præſtabat, credendum ſanè eum vberrimos ſuæ prædicationis fructus tuliſſe. Vnde etiam Apoſtolus viſa viri pietate ac robore, non dubitauit eum Epheſi antiſtitem conſtituere: qui primus omnium eam dignitatem tanta cura ac vigilantia ibidem adminiſtrauit, vt ea ſanè Eccleſia, quam Paulus & Ioannes Apoſtoli erexerant, nihil in terris diuinius putaretur. Extollit eam haud vulgari præconio S. Ignatius: cùm eorum in ſortem ſe adoptari vehementer deſiderat.

Creatur Epheſiorum Antiſtes S. Timoth.
In quadam epiſt. ad Epheſios.

Porrò Timotheus diuinæ gloriæ vbique ſtudioſiſſimus pro eiuſdem gloriæ defenſione præclarè fertur martyrio occubuiſſe. Epheſij enim cùm alijs multis errorum conflictarentur inſanijs, tum Catagogium quoddã feſtum tanto mentis furore celebrabant, in honorem dœmonis, vel clauis fuſtibuſque armati, obuios quoſlibet ad

Martyrium S. Timoth.
Feſtũ apud Epheſios planè diabolicum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

necem expeterent. Immane & crudele facinus. Innoxij repentino verbere ſternebantur, ipſis ſimulachris, quæ pariter circunferebantur, immolandi. Quam impietatem Timotheus non ferens conſtanter ad eos gradum intulit, plena grauitatis oratione conteſtans, ijs ſacrificijs, Deo & hominibus inuiſis, non ſalutem ac dignitatem ſed peſtem atque exitium comparari.

Inſaniam Epheſiorũ increpat S. Timoth.

Cumque ferrea pectora dictis pariter ac factis emollire ſtuderet, illi furibunda in eum mente inſilientes grauiter cõuulnerârunt; quem ilicò fideles ſui antiſtitis amantes, feminium & populi tumultu rapuerunt; ægreque trahentem ſpiritum ac tandem efflantem, in loco, Pion dicto, honorificè condiderunt. Fuit autem ſacrum corpus à Conſtantio anno Imperij eius 21. Conſtantinopolim in baſilicam Sanctorum Apoſtolorum tranſlatum: vbi clarum miraculis conquieſcit.

Grauiſſimè vulneratur.

Vitam deponit.

Translatio reliquiarũ eius.

Claret miraculis poſt obitum.

ILLVSTRE MARTYRIVM S. BABYLAE, Epiſcopi Antiocheni. Ex ſcriptis Beati I. Chryſoſtomi, qui teſtis oculatus, præclaro illi miraculo interfuit, quod tempore Iuliani Apoſtatæ, in tranſlatione reliquiarum eius contigit. Paſſus eſt ſub Decio Imper. Anno eius Imperij primo, Chriſti verò Saluatoris ducenteſimo quinquageſimotertio, ſede vacante, cum ſumma laude Epiſcopalem adminiſtraſſet dignitatem annos duodecim. Extat apud Reuerend. P. Laurent. Surium.

Habetur to. 3. operum eiuſdem.

Vide C. Baron Tom. 2. Annal. & in Not. Marty. Rom.

24. Ianuarij.

MAIORVM noſtrorum temporibus Imperator quidam fuit, tanta morum ſæuitia,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN